



Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput III. Propositio tertia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)

per quam dabitur. Quid inquam dicendum de numero cumulo actuum resultantium ex his combinationibus, quas necesse sophistæ possunt? Resp: Omnes illos actus esse disparatos quoniam hypothesis prout talis nequè est connexa cum conditionato, nequè ut talis est causa plenè determinativa illius; ergo numerosus iste catus actuum subjacet legibus conditionalium disparatarum; ergo nullus ex illis est actus scientiæ mediæ directæ, quam modo disputo (& consequenter argumenta fundata in aliquo ex illis extra chorum saltant) quia nullus actus hujus scientiæ habet hypothesim disparatam respectu conditionati; sed integram & solam libertatem activam illius, quæ profectò non est disparata, sed plenè potens illum causare, aut non causare. Licet enim scientia, qua DEUS prævidit D. Petrum incepturum planctum, quando Gallus cantavit, videatur assumere hypothesim disparatam respectu conditionati, re tamen ipsa non erat quid disparatum in eis circumstantiis, quippè excitavit in Apostolo memoriam vaticinij Christi Domini, ut constat ex Marci 14. Et hæc memoria cum cæteris prærequisitis ad eum planctum salutarem constituit libertatem, ex qua manarunt illæ lachrymæ.

CAPUT III.

Propositio Tertia.

XXXV. **E**A sit. Hypothesis objectiva hujus scientiæ mediæ, nequit esse quidquam *Metaphysicè*, determinatè absoluteque connexum, vel oppositum conditionato, licet dicatur impedibile à libertate creata: Potest tamen esse, si expungatur aliquod ex his tribus adverbij. Undè potest esse res moraliter, aut physicè connexa, vel opposita ei conditionato. Potest item adjungi ex parte rerum ei hypothesi aliquid illis tribus modis connexum, vel oppositum conditionato, dummodo sit evitabile per libertatem, de qua loquitur ille actus scientiæ mediæ. Item hypothesis objectiva hujus scientiæ mediæ non est auxilium solum, sed indispensabiliter debet esse tota, & integra libertas creata individua, & singularis secundum omnia sua constitutiva positiva, &

negativa. Undè secundum spontaneam carentiam divinæ volitionis flectendi irresistibiliter Voluntatem creatam, in unam partem determinatè; secundum Omnipotentiam, 2.^{um} decretum hujus applicativum, Decretum determinativum individuationis, 2.^{um} gratiam interioriorem excitantem, & prævenientem, quamvis hæc gratia non includatur semper in hypothesi objectiva omnis actus scientiæ mediæ. Deniquè hæc scientia est impedibilis, atquè determinabilis per illam solam libertatem, de qua loquitur, & quam assumit pro hypothesi. Tam certa sunt omnia hæc in schola scientiæ mediæ, quam prorsus necessaria ad multas æquivocationes contrarias dissipandas, quæ peccare solent, oblivione alicujus ex his prædicatis.

XXXVI. Probo primam partem. Nulla scientia, cujus veritas est omninò necessaria, vel omninò impossibilis est scientia mediæ, quia jam monui hanc esse contingentem. At omnis scientia conditionalis, cujus hypothesis objectiva eis tribus modis connectitur cum conditionato, licet aliundè impedibilis sit ea hypothesis, est scientia veritatis necessaria, si sit affirmativa, & veritatis impossibilis, si negativa fuerit. Item omnis scientia conditionalis, cujus hypothesis objectiva fuerit eis tribus modis opposita conditionato, licet aliundè hypothesis sit impedibilis, est veritatis impossibilis, si fuerit affirmativa; veritatis autem necessaria, si fuerit negativa, nempe quia, si sit impedibile, si non, fundamentum connexionis, aut oppositionis essentialis, est prorsus necessario verum, quod existente fundamento illius connexionis, existet terminus; ergò nulla scientia conditionalis, cujus hypothesis objectiva eis tribus modis est connexa, vel opposita cum conditionato est scientia mediæ, licet hypothesis illa aliundè sit impedibilis à libertate creata. Sic scientia hæc. *Si detur meus actus liber, non latebit DEUM*; non est scientia mediæ, licet hypothesis objectiva sit à me impedibilis; ergo hypothesis objectiva scientiæ mediæ nequit esse quidquam *Metaphysicè*, &c.

XXXVII. Ob rationem oppositam potest esse hypothesis objectiva hujus scientiæ illud connexum, vel oppositum cum

eum conditionato, quod aliquo caruerit ex illis tribus adverbijis. Nam quoties conditionatum potest coexistere, & potest non coexistere alicui rei pro nutu voluntatis, illa res potest esse hypothesis objectiva scientiæ mediæ, si cætera adsint requisita. At quoties res ita est connexa, vel opposita conditionato, ut deficiat aliquid ex eis tribus, conditionatum potest ei coexistere, & potest insuper non coexistere pro nutu voluntatis; ergo: Probatur Min: Imprimis; si connexio, vel oppositio fuerit moralis solum, quales solent esse vehementes nostræ inclinationes, & aversiones, experientia constat, quod voluntas auxilio DEI suffulta, potest, & solet illas vincere, & consequenter ponere, vel non ponere terminum illarum prout maluerit. Deinde si connexio, aut oppositio fuerint physicæ, cum una agentia naturalia frequenter enervent appetitum inatum aliorum, ut ignis enervat naturalem connexionem aquæ cum frigiditate, potest voluntas libera pollere eodem robore ad infringendam aliquam connexionem, aut oppositionem naturalem: Quod si hæ fuerint ex illis, quæ sunt invincibiles à tota natura, potest adesse decretum Divinum subjiciendi eam connexionem, aut oppositionem libertati creatæ, hancque elevandi, ut illam, si velit, triumphet (ut quando Deus largitur creaturæ potestatem physicam, aut moralem patrandi miracula) quo decreto posito, perinde est, ac si talis connexio, vel oppositio non daretur, unde potest esse hypothesis objectiva scientiæ mediæ; secus non dato illo decreto, quia tunc velit, nolit, cedit voluntas ei connexioni, vel oppositio; ergo scientia enuncians actum voluntatis sub illa hypothesis, non enunciat actum liberum voluntati sub illa hypothesis: ergo nequæ est scientia mediæ directæ, sed vel scientia necessariæ, vel reducibilis ad scientiam mediæ reflexam, sicut hæc: *Si existat materia prima, existet cum aliqua forma, &c.* Rursus licet connexio, vel oppositio sint Metaphysicæ, si non sunt determinatæ cum uno extremo, sed disjunctivæ, possunt etiam esse hypothesis dictæ scientiæ, quia tunc etiam possunt voluntates ponere, aut omittere sub ea unumquodque singillatim

R. P. de Ulloa, Theol. Tomi 1.

extremum disjunctionis. Et patet in ipsa libertate indifferentiæ, quæ profecto metaphysicè connectitur cum suo consensu, vel hujus omissione; & tamen est hypothesis certissima scientiæ mediæ: Demum si connexio, & oppositio fuerint metaphysicæ, & determinatæ cum consensu v. g. non tamen absolutæ, sed terminativè conditionatæ, tunc quoque potest voluntas ponere, vel non ponere consensum sub illa connexione, aut oppositione, quia fieri potest, ut ambæ maneant purè conditionatæ; eò quod conditio non purificetur; ergo ejusmodi connexio, vel oppositio Metaphysicæ, & determinatæ, sed conditionatæ duntaxat, potest esse hypothesis objectiva scientiæ mediæ; sic libertas ipsa indifferentiæ est metaphysicè, ac determinatè connexa cum suo consensu salutari sub conditione, quod illum ponat in rebus, sub conditione, quod illum DEUS praveriderit, & sub multis aliis conditionibus, sed quia possunt illæ non purificari etiam existente ipsa libertate specificative sumpta, idcirco illa est hypothesis objectiva scientiæ mediæ.

XXXVIII. Probo tertiam partem, nempe adjungi posse ex parte rerum hypothesis objectivæ scientiæ mediæ, aliquid eis tribus modis connexum, vel oppositum cum conditionato, modo sit impedibile ab ea libertate, quæ est talis hypothesis objectiva. Aliud est rem esse ex parte rerum, aliud attingi per unumquemque actum divinæ scientiæ; actus namque scientiæ mediæ non enunciant omnia, quæ sunt in orbe terrarum; sed solum, quod data libertas A v. g. bene operabitur, vel quod operabitur malè. Sic quando libertas actu consentit, datur ex parte rerum actualis consensus, & tamen non enunciat absolute per scientiam mediæ. Sed per scientiam liberam visionis Dixi illam non posse assumere pro hypothesis objectivæ quidquam eis modis connexum, vel oppositum; potest tamen aliquod hujusmodi ex parte rerum adjungi hypothesis illi, modo sit impedibile; nam scientia, qua Deus absolute intuetur consensum, est Metaphysicè absolute, ac determinatè connexa cum illo, utpotè infallibilis. Sed hæc scientia potest coexistere hypo-

hypothesi objectivæ scientiæ mediæ, nimirum libertati ipsi creaturæ, siquidem hæc in eodem instanti, in quo existit, potest, & solet consentire salutariter, & consequenter in illo eodem instanti DEUS hoc scit: Ergo: Præterea principium redundans, id est influens in consensum v.g. Sed quod hic, & nunc non prærequiritur ad illum, eo quia alia adfunt principia sufficientia, hoc inquam principium, potest esse connexum eis tribus modis cum consensu, & tamen, quia solet esse evitabile à libertate, utpote non constitutum ipsius, potest huic coexistere. Ratio autem est, eo ipso, quod aliquid non opponatur essentialiter libertati, potest ei coexistere, & consequenter adjungi hypothese objectivæ scientiæ mediæ; sed licet sit connexum, vel oppositum cum consensu metaphysicè absolute, ac determinatè, si tamen est impedibile ab illa libertate, potest non opponi essentialiter cum illa, quia oppositio cum illa ob titulum connexionis, aut oppositionis cum uno illius exercitio, non stat in sola connexionione, aut oppositione; sed in complexo ex absoluta, & omnimoda inevitabilitate per libertatem ipsam; Ergo, &c.

XXXIX. Probo 4.^{am} partem, scilicet hanc hypothese objectivam non esse solum auxilium Divinum; sed totam integram, adæquatamque libertatem activam, seu in actu primo, id est, complexum ex voluntate in recto, & cæteris omnibus comprincipiis ad utrumlibet prærequisitis, & cum utrolibet conjungibilibus v.g. ex Omnipotentia, ex Decreto hujus applicativo, quod solet vocari concursus DEI in actu primo ex Decreto determinativo individuationis, ex cogitationibus, & inclinationibus allicientibus, vel retrahentibus. Verum est, quod brevitatis gratiâ passim dicimus sic. *Si daretur auxilium A, daretur consensus*; Sed hoc est brevitatis gratiâ, & hæc brevitatis generare solet æquivocationes solemnes in adversario, qui non sit bene peritus nostrarum rerum. Modus itaque enuntiandi, quem agnoscimus in scientia mediâ directâ, est hic. *Si Petrus v.g. in instanti A, in circumstantiis A, præveniatur, adjuvetur, vocetur, elevetur à DEO inspiratione A, cui resistere possit.* (Quæ verba non sunt omittenda,

utpote nobis data per Tridentinum Sess. 6. Can. 4., & per Innocentium in Bulla contra Jansenium) *Queque inspiratio non est illi debita ex vi suæ naturæ* (potest autem aliunde esse debita, nempe consequenter ad gratuitam DEI promissionem, vel consequenter ad aliam gratiam DEI; nam propter hoc debitum non cadet à conceptu gratiæ DEI juxtâ Augustinum) *Habeatque cætera omnia prærequisita ad agendum, & non agendum: Si hæc inquam ita sint: in eo instanti A, & in eis circumstantiis eliciet opus A in individuo* (vel non eliciet prout ille se se gerat) *ut sic præventus, elevatus, & adjutus, atque adjutorio illo divino cooperante in suo genere.* En quod scientia mediâ enuntiat; sed quia rem adeo longam passim repetere esset nimis molestum, ideò brevitatis gratiâ paucioribus aliis vocibus uti solemus: sub ea tamen verborum paucitate hæc, quæ dixi, debent intelligi; quod si non intelligantur ab adversario, hic monendus est, neque ullatenus permittendus, manere in sua non intelligentia, quippe hac suppositâ, merito exhorresceret ad scientiam mediâ, & ego essem è primis, qui illam refellerem, si illa esset, qualem nonnulli ex adversariis illam sibi fingunt, Jam potissima ratio dictæ quartæ partis est, quia hanc solam scientiam defendimus, quando defendimus scientiam mediâ, & mens, animusque noster expresse est circâ hanc solam scientiam, cujus objectivâ hypothese non sit una sola pars libertatis, sed tota, & integra libertas ipsa indifferentiæ prout ab Ecclesia Catholica intelligitur, & docetur. Ergo scientiam conditionatam, cujus hypothese objectivâ imbibat omnia dicta, impugnare debes, si scientiam mediâ impugnare velis; aliâs aërem verberabis.

XL. Sed propter sophistas explicio amplius rem. Verum est, quod passim exponitur scientia mediâ his verbis. *Si daretur auxilium A, &c.* Cæterum ut dixi, hoc est brevitatis gratiâ, & quia initio controversiæ omnes fuerunt occasione auxiliorum. Vera tamen, & realis hypothese objectivâ est tota ipsa libertas indifferentiæ prout est expedita potestas ponendi, aut consensum, aut hujus omissionem. Verum item est, quod frequenter sic explicatur. *Si homo poneretur*

in tali, vel tali occasione. Si in tali, vel tali circumstantia temporis, ætatis, complexionis, dignitatis, tentationis, &c. Cæterum omnes istæ occasiones, ac circumstantiæ, reducuntur ad cogitationes, vel propensiones allicientes, aut retrahentes. Si enim ætas, humorum complexio, dignitas, paupertas, divitiæ, status vitæ, minæ, cruciatus, lenocinia, & hujusmodi occasiones, aut circumstantiæ, nequè immediatè per se ipsas, & exercitè, nec mediate, ac signatè, id est, ut reflexè cognitæ, moverent, aut retraherent respectu peccati v.g. impertinenter omninò se haberent respectu illius, & consequenter illud nonnisi disparato modo posset affirmari sub illis, (nempe sicut potest affirmari sub hypothese cantus galli) cogitationes autem, ac propensiones allicientes, & retrahentes, quando non connectuntur Metaphysicè cum uno exercitio determinato, constituunt libertatem indifferentiæ in actu primo: quia licet non sint principia prærequisita ad consensum, vel hujus omissionem, sumpta secundum se præcisè, ac secundum genus, vel speciem suam; sunt tamen essentialiter prærequisita ad individuum illum consensum, & individuum illam omissionem, ut procedentia ex ipsis; quia ut sic procedentia (quæ reduplicatio non est purè mentalis, sed veram, realem, & objectivam processionem unicuiquè proportionatam significat) intimè connectuntur cum illis, ut existentibus in signo priore; ergò illa sunt essentialiter prærequisita ad individuum illud exercitium libertatis, ut tale; ergò constituunt individuum illam libertatem ad individua illa exercitia; omnes ergò istæ explicationes si homo vocaretur in his circumstantiis, si poneretur in his occasiombus, &c. Ne æquivocationum matrices sint, debent reduci ad hanc. Si daretur in homine hæc individua, & singularis libertas, constituta per hoc, & per illud, & per illud in individuo, &c. Ratio est. Notitia conditionalis assumens præ hypothese solum auxilium v.g. aut solum occasionem peccandi, aut quodvis aliud solum constitutum libertatis; quæro, vel excludit positivè cætera comprincipia (& sic est notitia necessario falsa, quoniam licet detur unum constitutum libertatis, si de-

ficiant alia, certissimè non dabitur conditionatum liberum) vel omninò præscindit ab illis, & sic iterum rogo.

XLI. Vel præscindit positivè, scilicet sic: Si detur auxilium A dabitur consensus, sive dentur, sive non dentur reliqua comprincipia. Et sic etiam est falsa, ut patet: Vel præscindit tantum negativè, quatenus ex parte hypothese formalis solum audiatur auxilium, & nullum aliud appareat comprincipium: Et sic non est vera in sensu strictè conditionali, & consequenter non est scientia media. Probatur. Omnis notitia vera in sensu strictè conditionali debet assumere hypothese per se sufficientem, ut eâ purificatâ detur conditionatum. Hoc enim significat illa particula Si: quando sumitur in sensu strictè conditionali, ut distincto à sensu disparato, & merè conjunctivo; ergo debet assumere vel hypothese per se connexam cum eo conditionato, & consequenter cum eis omnibus, quæ requiruntur ad illud (& tunc dicitur habere sensum illativum) vel hypothese, quæ sit plena, & expedita facultas ponendi illud in rebus: & tunc habet sensum purè conditionalem: Ergò conditionalis, quæ neutram hypothese habuerit, non est vera in sensu strictè conditionali. At propositio enuncians consensum sub hypothese auxilii, præscindendo omninò negativè à cæteris comprincipiis, non assumit hypothese, quæ vel sit connexa per se cum conditionato, vel sit plena facultas ponendi illud, quandoquidem auxilium præscindens à reliquis constitutivis libertatis, licet valde conducatur ad salutarem consensum, & quomodolibet sit efficax; verumtamen ut sic præscindens neque connectitur cum illo, aliàs non præscinderet à cæteris prærequisitis essentialibus ad illum: nequè est plena facultas ponendi consensum in rebus; ergò ea conditionalis non est vera in sensu strictè conditionali; ergo non est scientia media, quam disputamus.

XLII. Verum est, quòd existente auxilio A, etiam præscindendo negativè ab aliis, necesse est, quòd detur consensus, vel carentia consensus, & consequenter unum ex his duobus est determinatè cognoscibile, & respondibile per DEUM, si hac super re consuleretur.

à creatura; sed aliud est, quòd sit cognoscibile à DEO per scientiam strictè conditionalem, præscindentem objectivè ex parte hypothesis ab aliis comprinciipiis. Aliud quòd sit cognoscibile per scientiam non præscindentem ab illis. Hoc concedo; nam scientia Divina non habet imperfectionem præcisionum, quibus nostræ cognitiones scant. Illud primum nego; nam si DEUS scit, quòd dato auxilio A, dabitur determinatè consensus, ideò est, quia simul per eandem indivisibilem scientiam, quam nos non explicamus adæquatè, agnoscit, quòd dato eo auxilio, dabuntur cætera omnia comprinciipia, quæ constituunt expeditam facultatem consentiendi, & non consentiendi.

XLIII. Quòd si adhuc insistas, loquendo de Divina scientia, quæ objectivè præscindat omninò ab illis comprinciipiis, quæ Deus sciat, quòd si detur auxilium A, tunc in eodem instanti dabitur consensus, sicut scire potest, quòd in eodem instanti, si in quo sonet campana, ille vociferabitur. &c. Istam non esse scientiam mediam, sed vel scientiam liberam DEO, fundatam in hoc decreto. *Volo, quòd in eodem instanti, in quo detur auxilium A, detur consensus.* Vel scientiam mediam reflexam, scilicet: *Si DEUS habeat libertatem constitutam visione absoluta auxilii A, largietur integram libertatem, quam prævidet efficacem, & sic dabitur consensus.* Vel quòd verius reor, ista scientia, de qua loqueris, est complexum ex duabus; unâ, quæ videat auxilium extitutum in A, alterâ, qua videt consensum ibidem extitutum à sua plena, & integra libertate. Ex quibus duabus resultat ista veritas conditionalis in sensu conjunctivo & temporali v. g. *Si in A detur auxilium, in A datur consensus:* Sicut ex hac veritate absoluta: *Gallus cantat, & hac, Turca convertitur,* resultat hæc conditionalis disparata, sed vera in sensu purè conjunctivo, & temporali. *Si Gallus cantat, Turca convertitur.*

XLIV. Stet ergo ad objectiones dissipandas, hypothesis objectivam scientiæ mediæ in sensu reali, quidquid sit de vocibus præcisivis, quibus uti solemus, non esse auxilium solum, aut solum occasionem benè, vel malè operandi; sed totam, & integram libertatem

indifferentiæ, sive in actu primo. Hæc porò libertas interdum est contrarietatis, eò quòd sit indifferentia, ponendi unum de duobus actibus positivis oppositis. Interdum libertas contradictionis, eò quòd sit indifferentia ponendi unum ex solis duobus contradictoriis. Interdum libertas anonyma, eò quòd sit indifferentia ponendi simul duos quosdam actus non oppositos, vel omitendi simul ambos, vel ponendi unum sine altero, vel alterum sine uno, juxta multiplices species libertatum indifferentiæ, quas benè coordinatas invenies apud Isquieri Disput. 30. de DEO num: 19.

§. Secundus.

XLV. Hinc infertur quinta pars conclusionis, scilicet dictam hypothesis importare spontaneam carentiam irresistibilis decreti divini flectendi voluntatem creatam potius in unam partem, quam in aliam. Undè excludo omnem antecedentem irresistibilem determinationem voluntatis creatæ, tam intrinsicam, quàm extrinsecam, tam divinam, quàm creatam, tam positivam, quam negativam, tam in Cælo, quam in Terra; nam hæc ineluctabilis metaphysica determinatio, quibuscumquè alius lenitivis mitigetur, opponitur Metaphysicè cum libertate indifferentiæ in creatura, id est cum eo, quòd gratiosè relinquatur hæc in manu Consilii sui à DEO, constituaturque cum plena indifferentia, ut porrigat manum ad ignem, vel ad aquam; Ergò cum omnis oppositio Metaphysica sit reciproca; necesse est, quòd libertas indifferentiæ opponatur metaphysicè cum ea irresistibili determinatione: At libertas indifferentiæ est, quæ sola est hypothesis objectiva scientiæ mediæ; ergò hypothesis objectiva, sub qua hæc scientia enunciat opus liberum creaturæ, trahit secum carentiam prædictæ determinationis; sive decreti Divini, quæ carentia spontanea utiquè est DEO, quippè qui poterat uti supremo suo Dominio conservandi creaturam rationalem absquè hac, vel illa libertate indifferentiæ.

XLVI. Hinc quando dicimus DEUM donare quidem, vel subtrahere voluntati libertates illas, quas vult, eis tamen semel collatis nequè determinare,

re, neque posse determinare ineluctabiliter libertatem ad unum potius, quam ad aliud, ne expavescas ob terminorum ignorantiam. Etenim hæc impotentia est prorsus consequens ad divinam ipsam voluntatem; sicut enim Deus est impotens velle efficaciter effectivè A ex hypothesi, quòd illud efficaciter effectivè nolit, quin hæc impotentia DEUM dedecet, ut patet. Ità est impotens determinare irresistibiliter Voluntatem creatam ex hypothesi, quòd efficaciter nolit eam irresistibiliter determinare. At hypothesi, quòd velit conservare in creatura libertatem indifferentiæ, & relinquere illam in manu Consilii sui, trahit secum hanc hypothesim de eo, quòd DEUS nolit voluntatem irresistibiliter determinare, nam eo ipso, quòd velit illam esse ad utrumvis indifferentem, non vult uti supremo suo dominio flectendi illam irresistibiliter; ergò DEUM non posse determinare voluntatem irresistibiliter ex hypothesi, quòd illam constituat liberam libertate indifferentiæ, non dedecet DEUM, quinimò oppositum dedeceret; similiter nec DEUS potest facere, quòd homo deficiat ex hypothesi, quòd dentur omnia hujus constitutiva, aut quòd deficiat terminus ex hypothesi, quòd detur actualis physica productio illius, nempe ob essentialia connexiones rerum, quas DEUM infringere non posse, nullum unquam mediocriter Philosophum terruit: Tam ergò connectitur Metaphysicè libertas indifferentiæ cum carentia istius irresistibilis decreti, sive determinationis, quam constitutiva cum constituto, & actio cum suo termino: quid ergò mirum, quòd DEUS nequiens conjungere extrema essentialiter opposita, nequeat habere irresistibile illud decretum, ex hypothesi, quòd detur libertas indifferentiæ in creatura.

XLVII. Nequè absurdum est, quòd creatura possit se determinare ex hypothesi, quòd libera sit (hoc est possit immediate liberè concipere suum actum voluntatis liberum quia id solum significat illa phrasim *se determinare*) non enim debes apprehendere, quòd insinat sibi aliquam determinationem, & DEUS non possit illam determinare. Probatur id. Tum in genere: quia multa potest crea-

tura, quæ ob imperfectionem, quam imbibunt, non potest DEUS, ut vivere per actus creatos, mereri, obedire alii, &c. ergò non sumendum est in genere hoc, quòd est *DEUM posse, vel non posse*, nequè juxta verborum corticem; sed inspicendum, utrum ibi lateat aliqua imperfectio, quæ DEUM dedecet. Atqui DEUM irresistibiliter determinare creaturam ex hypothesi, quòd illam relinquat liberam libertate indifferentiæ, imbiberet maximam imperfectionem in DEO, quoniam esset *velle determinare* ex hypothesi, quòd *determinare nolle*; ergò DEUM non posse determinare creaturam; hanc autem posse determinare se ipsam, non dedecet DEUM; Tum in re præsentem, quia libertas indifferentiæ creaturæ opponitur quidem essentialiter cum eo, quòd irresistibiliter determinetur à DEO, ut modo dicebam, non autem cum eo, quòd ipsa pro suo libito se determinet, id est immediate liberè concipiat actum suæ voluntatis, seu immediate manum porrigat potius ad ignem, quam ad aquam, in hoc quippe, & non in alio consistit, quòd se immediate determinet: Ergò licet sit impossibile, quòd creatura determinetur à DEO irresistibiliter ex hypothesi, ut toties dixi, quòd sit libera; nempe quia hæc eadem hypothesi trahit secum, quòd DEUS nolit illam sic determinare; non tamen est impossibile, quòd ipsa se determinet: se namque determinare non stat, ut semel, & iterum dixi, in eo, quòd pro priori ad primam suam liberam operationem ponat aliquam determinationem ad illam; quippe contra eadem difficultas assurgeret, & abiremus in infinitum. Ubi cave æquivocationem, cum DEUS liberè faciat operationem liberam creaturæ, concurrente simultaneè ad hanc operationem; & cum hæc operatio sit unica determinato, qua creatura determinatur à seipsa, sequitur DEUM liberè facere determinationem creaturæ; Verumtamen non sequitur, quòd illam determinet. Sicut ex eo quòd DEUS liberè faciat obedientiam creaturæ non sequitur, quòd liberè obediat; nec ex eo, quòd liberè faciat meritum creaturæ, infertur, quòd DEUS mereatur: nequè ex eo, quòd liberè concurrat ad vitam in actu 2.º creaturæ,

turæ, sequitur, quod DEUS vivat in actu 2.º per vitam illam creaturæ. Ratio est diversitas sensuum, quos utraq; propositiones dant. In præsentia materia ratio est. DEUM determinare actionem liberam creaturæ, esset, aut concipere illam immediatè, sicut concipit immediatè liberè actus suæ voluntatis (& hoc est impossibile, quia actio libera creaturæ est operatio ad extra) vel concipere immediatè liberè decretum per se absolute metaphysicè connexum cum ea operatione libera creaturæ; quod huic foret prorsus inevitabile; At ex eo, quod DEUS simultanéè concurrat ad illam actionem liberam creaturæ, non sequitur, quod DEUS concipiat illud decretum. De hoc enim est quæstio, & hoc est, quod semper negamus: Ergò ex eo, quod faciat determinationem, non sequitur, quod determinet.

XLVIII. Ex quibus omnibus constat scientiam mediam enunciare conditionatum exiturum sub hypothesi, quod creatura sit libera, id est sub hypothesi, quod DEUS nolit uti supremo suo Dominio, quinimò velit relinquere illam, ut faciat, quod voluerit, redditura rationem suo tempore. Itaque ad hoc principium venire debetis, quoties adversarius clamet, nos minus consulere supremæ potestati, ac dominio DEI, summæ subjectioni, ac dependentiæ creaturarum. Utrumquè est verum; sed neutri adversatur, quod DEUS nequeat determinare irresistibiliter voluntatem creatam ex hypothesi, quod ipse liberimè vult ipsam non flectere, aut determinare irresistibiliter. At hypothesi relinquendi illam in manu consilii sui, constituendi, & conservandi eam liberam libertate indifferentiæ, trahit secum infallibiliter hypothesim illam, quod DEUS nolit eam voluntatem irresistibiliter determinare (in hoc stat totus cardo præsentis controversiæ) nam per se essentialiter opponuntur hæc duo. *Voluntatem relinqui in manu Consilii sui, & simul propelli irresistibiliter in unam partem potius, quam in aliam. Item relinqui indifferentem ad utrumvis, ut faciat, quod voluerit, & simul inevitabiliter determinari ad unum. Item Donari facultate plena, expeditaque ad bene operandum & simul ineluctabiliter subtrahi ali- quod prorsus necessarium ad eam operationem*

Ergò nequè Dominio, nequè subjectioni adversatur, quod DEUS nequeat irresistibiliter determinare voluntatem ex hypothesi, quod illam donet libertate indifferentiæ, prorsusquè gratiosè, ac voluntariè illam relinquat in manu Consilii sui, cum posset flectere in partem, quam ipse DEUS mallet: ergò sicut immeritò inveheris contra eum, qui diceret DEUM non posse conservare hominem ex hypothesi, quod velit destruere unum ipsius constitutum, ac non posse destruere hominem ex hypothesi, quod velit conservare omnia constitutiva ejusdem. Ità immeritò irascuntur nobis aliqui post tempora Dominici Bagnez Cantabri, & Didaci Alvarez Castellani, qui ambo Illustres Doctores Salmanticensis fuerunt, eò quod dicamus DEUM non posse irresistibiliter determinare voluntatem creatam ex hypothesi, quod velit illam relinquere in manu consilii sui, & in ipsa conservare libertatem indifferentiæ ad utrumlibet. Cumquè hæc propositio sit basis, & fundamentum scientiæ mediæ (quoniam ex hac nascitur, quod divina Præscientia conditionata futurorum liberorum non innotatur Decreto efficaci DEI *subjectivè* absoluto, & *terminativè* condito onato circa illa futura libera) videtur concludi, impugnationes scientiæ mediæ ex non rectissima intelligentia illius oriundas esse.

XLIX. Probo sextam partem, nimirum hypothesim objectivam scientiæ mediæ includere essentialiter Omnipotentiam, Decretum hujus applicativum (cujus qualitates ac modum tendendi non nunc, sed postea disputabimus) nec non decretum determinativum quoad individuum. Libertas creata indifferentiæ constituitur per omnia principia essentialiter prærequisita immediatè ad actum, & omissionem hujus. Est enim plena sufficientia ad determinandum quodlibet ex eis, & est perspicuum non dari plenam sufficientiam, quando deficit aliquod prærequisitum. At hypothesi objectiva scientiæ mediæ directæ est tota, & integra libertas creata, ut nuper dictum: ergo constituitur per omnia principia essentialiter prærequisita ad utrumvis illorum: At supposita contra Dolam Cappuccinum necessitate divini concursus ad quamcumque operationem

crea-

creata ex hypothesi, quod hæc detur, Omnipotentia divina est principium physicum essentialiter prærequisitum immediatè ad quamcumquè operationem creatam, & Decretum applicativum illius est similiter principium morale immediatè prærequisitum, quatenus DEUS nihil potest operari ad extra, nisi mediante actu suæ voluntatis, qui quidem actus non influit physicè in operationem, sed moraliter, sicut nostra volitio loquendi, moralitate interdum positiva, interdum merè negativa, id est permissiva, ut contingit, quando operatio creata, ad quam expetit Omnipotentiam, est peccaminosa. Deinde Decretum determinativum individuationis est quoque principium essentialiter prærequisitum. Quoniam voluntas nostra pro hoc statu non discernit præfice inter individuum A amoris v. g. & individuum B, licet loquendo abstractè, ac speculativè sciamus individuum A non esse individuum B. Proindeque non est proximè potens eligere potius unum individuum, quàm aliud, ex actibus interioribus, quin determinetur à DEO determinatione negativa, postea explicanda, quia in hac putant adversarii esse magnum quoddam negotium contra nos; ergò à primo ad ultimum hypothesi objectiva scientiæ mediæ directæ includit Omnipotentiam, & dicta duo decreta.

L. Quod si dixeris, fore, ut libertas creata sit quid divinum, quandoquidem includit essentialiter has res divinas; nego sequelam, cujus probatio est inefficax, nam quando subjectum propositionis est terminus complexus, prædicatum debet convenire ei, quod significatur in recto, alias esset verum dicere, Maritus Uxoris est Uxor Mariti. At libertas creata dicit in recto solam voluntatem creatam, & reliqua constitutiva divina dicit in obliquo; ergò non potest verè dici, libertatem creatam esse quid divinum, & semper subsistit verum, omnem creaturam distingui adæquatè à DEO, nam rectum hujus complexi libertas creata est ipsa voluntas creata, quæ per nihil divinum constituitur, licet complexum totum adæquatè inspectum constituatur per dicta divina.

LI. Ob eandem rationem includit hypothesi prædicta interiorem gratiam excitantem, & prævenientem; nempe quando est libertas ad actum salutarem, quia juxta doctrinam Ecclesiæ, contra totam scholam Pelagianam, prædicta gratia interior præveniens, excitans, adjuvans, ac coadjuvans (de qua agam infra inter exponendum mentem S. Augustini his super rebus) est omnino prærequisita ad unumquemque actum salutarem, vel instar principii physici, vel instar moralis, ut vassiant Theologi; ergò libertas indifferentiæ ad actum salutarem, & ejus omissionem, sive peccaminosam, ut quando actus ille est præceptus, sive indifferentem, ut quando est actus supererogationis; Item libertas indifferentiæ ad actum salutarem, & ejus contrarium intrinsecè claudit prædictum gratiæ auxilium, undè quando loquentes de actibus ad salutem conducentibus utimur his verbis *Liberum arbitrium. Humana voluntas. Homo, & similibus*, absit, ut eis utamur in eo sensu, quem fugillat Augustinus inter disputandum cum Pelagio, & hujus reliquiis, quoniam tunc S. Doctor utitur illis, ut debebat in eodem sensu, in quo utebatur illis Pelagius, aliàs impugnation esset extrà rem, & noster Doctor non refelleret, quod Pelagius dicebat. At hic verbis illis significabat solas vires humanas, & naturales, cum tam acriter negaret adjutorium divinum esse necessarium ad *velle*, ac ad *agere*, & solum concederet esse necessarium ad *posse*, & hoc per viam solum instructionis, & illuminationis, & oculorum apertionis, ut ex ipso citat Augustinus, non autem per viam virtutis physiciæ ad volendum, & agendum. Ergò quando utimur nos illis verbis non utimur eis in eo sensu, quem fugillat & impugnat S. Augustinus. Cæterum quia, ut supra monuimus dantur etiam actus liberi entitativè naturales, modò honesti, modo mali, modò indifferentes, & consequenter multæ dantur libertates pure naturales, nullum auxilium gratiæ supernaturalis includentes, & quia præ priori ad ipsarum productiones debet DEUS scire quid agent, quid non agent secundum omnes suas proprias circumstantias, ne aliquid adhuc naturale inopinatè resultet DEO, & quia

& quia insuper hoc debet scire absque Decreto illo irresistibili, quod ponunt adversarii, aliàs actus ille liber naturalis non foret liber; hac de causa addidi ad finem hujus partis; non omnis scientiæ mediæ hypothesim objectivam includere prædictum auxilium gratiæ. Dantur enim multi actus scientiæ mediæ, quos vocare possumus naturales, quorum objectiva hypothesi est libertas entitativè naturalis, & cujus objectivum conditionatum est exercitium liberum merè naturales. Plerumquè tamen dicitur hypothesim prædictam includere prædictum auxilium, quia plerumquè agitur de operatione libera ad salutem conducente, & in hoc absorpti authores non solent meminisse hujus alius speciei scientiæ mediæ terminativè naturalis. Ubi adverte, posse contingere quod objectivum conditionatum sit naturale, & tamen hypothesi objectiva includat auxilium supernaturale v.g. *Si existat libertas constituta per Divinam inspirationem A, nihilominus homo peccabit ei inspirationi resistens.* Et hoc contingit quoties homini conferatur libertas supernaturalis, quam DEUS prævidet inefficacem.

LII. Probo tandem scientiam mediæ à sola illa libertate esse impedibilem, ac determinabilem, quam habet præ hypothesi objectiva. Et e.g. Loquamur de hoc actu affirmativo. *Si existat libertas A constituta per hoc auxilium adjuvans, & præveniens sic adjuva & confortata eliciet salutarem consensum.* Hanc notitiam esse veram, stat formaliter immediatè ex parte objecti in eo, quòd existens ea libertas eliciat illum consensum, quippe illum, & non aliud enunciat. Rursus non esse veram (si sit humana cognitio) & non existere in rebus (si fuerit Divina) stat in eo, quòd illa eadem libertas A existens in eo instanti non eliciat eum consensum; sicut hanc propositionem *libertas A consentit esse veram* stat in eo, quòd consentiat libertas A, & non esse veram stat in eo, quòd non consentiat. Sed sola libertas A, quam vides esse hypothesim objectivam ejus actus scientiæ mediæ, est, quæ activè immediatè determinat suum consensum, quando eum determinat, & ea sola est, quæ non determinat, quando ille non de-

terminatur. Sicut ea sola est, quæ potest vivere, quæ potest mereri eo consensu, licet etiam DEUS concurrat physicè immediatè ad illum; ergò Probo minorem: Si alius determinaret eum consensum maximè DEUS: Sed hoc est implicatio in terminis, quia ex hypothesi, quòd DEUS nolit determinare voluntatem, ut poterat, sed relinquere illam in manu Consilii sui, repugnat, quòd illam determinet; sicut, quòd illam destruat, ex hypothesi, quòd velit illam conservare: At hypothesi, quòd voluntas habeat libertatem indifferentiæ, ut distinctam à libertate à coactione, trahit secum, quòd DEUS nolit uti supremo suo Dominio determinandi irresistibiliter hoc, vel illo modo voluntatem, sicut hypothesi conservandi hominem trahit secum hypothesim, quòd DEUS nolit uti supremo suo Dominio destruendi Corpus, & Animam, & Unionem. Ergò, &c.

LIII. Et ratio est. Si DEUS determinaret eum consensum illius libertatis, quæro. Vel hæc determinatio esset irresistibilis, & simul inevitabilis à creatura, vel non. Si primum, ecce jam existeret tunc in creatura libertas A indifferentiæ, ut supponimus, & simul non existeret, quia ex terminis ipsis repugnat voluntatem esse absolutè, ac simpliciter indifferentem ad consentiendum, vel non consentiendum, & simul inevitabili, atquè irresistibili determinatione impelli à DEO sive hoc, sive illo modo ad unum potius, quam aliud. Item relinqui in manu consilii sui, ut manum porrigat ad ignem, vel ad aquam, & simul irresistibiliter impelli ad ignem potius, quam ad aquam. Hæc est basis, hæc propositio est cardo totius scientiæ mediæ, & donec illam non convellant scientiam mediæ non movebunt. Nec refert, quòd posita illa determinatione adhuc remaneat unum, vel alterum, (puta judicium) indifferentens secundum se; nam etiam posita visione beatifica, unione hypostatica, & quavis alia simili antecedente impossibilitate ad peccandum manet voluntas creata secundum se, ac secundum sua prædicata essentialia indifferentens ad peccandum, vel non; & tamen illa omnia fugant libertatem indif.

indifferentiæ ad peccandum, quidquid sit de libertate remota, radicali, & conditionata; nempe quia nihil interest, te habere unum pedem solutum, si alium habeas ligatum invincibili catena. Si 2.^{um} Ergo jam habemus, quod à sola libertate illa pendet, quod semel existens in A, eliciat consensum, vel omissionem ejus. Atqui ex alia parte intellectus Divinus ob suam infinitam perspicaciam est essentialiter determinatus ad sciendum quidquid esset, & essentialiter impotens ad habendum scientiam non veram; ergo à sola illa libertate A pendet, quod DEUS habeat, vel non habeat eum actum scientiæ mediæ: Ergo hic est determinabilis, atque impediibilis per eam solam libertatem A. Cumquæ idem argumentum formari debeat de quolibet actu scientiæ mediæ, habebimus intentum.

LIV. Dixi *impediibilem*, non autem *falsificabilem* quia hoc secundum staret in eo, quod perseverante ea scientia, libertas A non consentiret; sed hoc est impossibile ob incapacitatem intellectus Divini ad habendum cognitionem falsam; ergo libertas A non potest falsificare eum actum scientiæ mediæ; nempe, quia ille nunquam existisset in DEO, si libertas A non foret consentiura. Sicut nunquam existisset in DEO visio præsentis tuæ scriptiōis, si tu de præsentis non scriberes. Illud autem primum contentum est solo defectu prædicti actus scientiæ mediæ, non enim est vera illa cognitio, quæ non est in rebus, libertas autem A non consentiens; ut potest, faceret, nè in DEO daretur actus ille, & consequenter determinaret ipsius defectum.

§. Tertius.

LV. Hinc primò obtulantur ora illarum exclamationum *Elevatis arbitrium Creatum supra DEUM. Plus tribuitis creaturæ, quam DEO. Creaturæ possent aliquid, quod non posset DEUS. Voluntas creata magis est in manu DEI, quam sui ipsius, &c.* Sed scholastica proprietas facile fugat oratorias declamationes. Imprimis liberum arbitrium in disputationibus totius Ecclesiæ cum sancto Augustino adversus Pelagium, & sequaces, sonat liberta-

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

P

tem naturalem, non suffultam gratiæ præveniente, excitante, & inspirante saltem ad primum actum salutarem. Nos verò loquimur de libertate, quæ tantum abest ab hoc errore, ut potius essentialiter, indispensabiliter constituatur per hanc gratiam ad minimum etiam, & primum salutarem actum, sed cui gratiæ resisti potest, ut docent Pontifices contra secundam, & quartam propositionem Janlenii, & prius docuerat Tridentinum Sess. 6. Can. 4. illis verbis, *Nequæ posse dissentire, si velit, anathema, &c.* Ergo omnes istæ exclamationes tacitè supponentes nos in materia de scientia mediæ loqui de libero arbitrio, de voluntate hominis in ista significatione, quam mala illa schola defendebat, & S. Augustinus verissimè refutabat, sunt exclamationes falsum supponentes, vel nolentes intelligere, quod dicimus. Nè igitur adversarii suppositâ hac chimerâ nectant alias, quæ profecto benè inferrentur, cogendi sunt in ipso limine disputationis, ut utantur non hoc termino *liberum arbitrium*, non hoc *voluntas hominis*, quoniam hi duo termini in disputationibus Augustini contra Pelagianos, & Semipelagianos significant, quod utrique, quos S. Doctor impugnabat, docebant. Docebant autem utrique solas vires naturales hominis. Cogendi sunt itaque Adversarii, ut dum nos oppugnant, utantur his terminis, quippe hi soli sunt de quibus nos loquimur: *Libertas indifferentiæ intrinsicè constituta per gratiam DEI prævenientem & excitantem, ad omnem prorsus actum salutarem necessariam. Sed cui gratiæ libertas ipsa resistere potest.* Si hac formalitate, & expressione vestiatur argumentum contrarium, admittendum est, ut dignum, quod solvatur. Si secus, abjiciendum, ut calumnia & fictio hostis, qui fingit, quod debellet. Et licet adversarius protestetur se loqui in hac suppositione, & nolle longiores ponere propositiones, non est audiendus; nam initio hoc solet dici & post duos, vel tres syllogismos jam sumus in alia regione. Semper igitur ubilibet, indispensabiliter in omnibus & singulis propositionibus hujus controversiæ, in quibus sit sermo de homine, de voluntate, de libero arbitrio respectu actus salutaris etiam primi, & minimi debeo

debeo irresistibiliter cogere adversarium, ut utatur his expressis, & formalibus terminis. *Homo, Voluntas, Liberum arbitrium cum gratia DE I* excitante, praeveniente, & coadiuvante, sed cui resisti potest. Hos namque expressos, & nitidos terminos dedit nobis Ecclesia, agens de hac eadem re, & his expressis & formalibus debemus nos uti. Habe semper hanc curam, & multas videbis in ventum resfolvi aquivocationes.

LVI. Præterea creatura potest currere, vivere per suos actus, mereri, credere, sperare, dolere meritorie, & tamen nullum horum potest DEUS, tamen ad omnia hæc physicè concurrat horumque omnium sit causa per se; Ideone elevamus potentiam creaturæ supra divinam? Plus tribuimus creaturæ, quam DEO? Absit; quia non est contra infinitam majestatem supremi Domini DEI non posse illud, quod si posset, imperfectionibus scateret; Eis autem scateret, si posset istorum aliquod. Idem dicimus in præsentia. Si in sensu composito dandi, & conservandi libertatem indifferentiæ, DEUS irresistibiliter determinaret creaturam, faceret chimeram, qualis est hæc. *Creaturam esse indifferentem, ut pro suo libito porrigat manum ad ignem, vel ad aquam, & simul, sive in eodem signo, sive in posteriore, sive in anteriore, sive in hoc, sive in illo, esse ineluctabiliter determinatam à DEO, ut porrigat manum ad ignem v. g. ineluctabiliterque impeditam, ut porrigat manum v. g. ad aquam.* Item. *Relinquere illam in manu Consilii sui cum adiutorio tamen suæ gratiæ, cui resisti possit, & simul irresistibiliter flectere illam in unam partem potius, quam in aliam.* Esset insuper DEUS sibi ipsi contrarius; nam cum hypothesis dandi, & conservandi libertatem indifferentiæ trahat secum quod DEUS efficaciter nolit uti supremo suo dominio ad flectendum irresistibiliter quamcumque creaturam, si eam sic flecteret conjunctim cum illa hypothesis, pugnaret secum ipso. Atqui hæc propositiones sunt tota basis, & totum fundamentum negandi Decreta Divina subiectivè absoluta, & terminativè conditionata, in quibus DEUS cognoscat futura contingentia conditionata libera, & consequenter hæc propositiones sunt origo, & fundamentum scientiæ mediæ;

ergo istæ declamationes de elevatione arbitrii creati supra Divinum, & contra scientiam mediam, si ad trutinam scholasticæ veritatis adducantur, inveniuntur minus habentes.

LVII. Ratio autem est. Nulla impotentia consequens vel ad voluntatem ipsam Divinam, vel ad rerum essentias dedecet DEUM, aut facit essentias rerum sacrilegas; alias sacrilega foret essentia hominis, cum DEUS non possit subtrahere illi prædicatum rationalitatis, & affigere prædicatum hincibilitatis, essetque indecorum supremo Dominio DEI non posse destrueret musicam, ex hypothesis, quod efficaciter velit illam conservare. At impotentia determinandi voluntatem irresistibiliter in unum potius, quam in aliud, ex hypothesis, quod ipsi donet libertatem indifferentiæ ad utrumvis, est consequens ad voluntatem ipsam divinam, siquidem est consequens ad hypothesis, quod detur in creatura ejusmodi libertas indifferentiæ, quæ libertas ideò à priori datur in creatura, quia DEUS spontè sua illam donare vult. Item est consequens ad essentiam ipsam libertatis indifferentiæ, quia sicut est consequens ad essentiam cujusque rei, quod non detur suum opus positum essentiale ex hypothesis, quod ipsa daretur, ita est consequens ad essentiam libertatis indifferentiæ ad utrumvis, quod non flectatur irresistibiliter à DEO, ex hypothesis, quod ipsa existat in rebus; ergò hujusmodi impotentia nequè dedecet DEUM, nequè extollit libertatem creatam supra Divinam, nequè facit sacrilegam essentiam libertatis indifferentiæ, nequè demum inducit montes illos coagulatos, quos aliqui suspicantur.

LVIII. Dices. etiam necessitas parendi creaturæ, & impossibilitas ei resistendi, ex hypothesis quod DEUS ei se obligavisset ex servitute, voto, vel contractu, esset consequens ad Divinam voluntatem; Et tamen repugnat DEO. Respondetur, non dicimus impotentiam, seu necessitatem utcumque consequentem, ac sine judicio, decere DEUM, si namquè est consequens ad rem chimeram, ipsa quoque impotentia

tia

tia chimerica erit. Sed consequentem ad hypothesim possibilem, certoquè existentem. At hypothesis, quod DEUS aliquo ex istis modis se obliget creaturæ, manifestè est impossibilis, ut concedere debet ipse adversarius, hypothesis autem, quod efficaciter nolit supremo suo uti Dominio, flectendi irresistibiliter creaturam, non est impossibilis, & hypothesis dandi, ac conservandi libertatem indifferentiæ, tam longè abest ab impossibilitate, ut potius sit de fide illam esse veram; ergo licet primæ impotentia consequentes sint impossibiles, secunda non ita.

LIX. Hinc 2.º exenteratur alia difficultas circa hanc impedibilitatem, ac determinationem scientiæ mediæ à libertate creata, videlicet; si hæc nunquam existit, ut potest nunquam existere, siquidem DEUS non modo habet scientiam mediam circa libertates existentes, sed etiam circa nunquam extituras, quæ fieri potest, ut impediatur, vel determinetur scientiam mediam actu physicè, absolutè existentem? De nihilo enim nihil fit, ut dicitur. Omnes debent solvere hunc nodum. Certum est, quod potens modo tacere, & loquens unice, quia vis, potes ab æterno impedire æternam illam scientiam, qua DEUS ab æterno prævidit te in hoc instanti locuturum; si ergo ab æterno non eras, nequè istam habebas loquendi capacitatem, quomodo poteras ab æterno impedire, seu determinare illam Divinam præscientiam.

LX. Putant aliqui magnum aliquid esse Mysterium in hoc determinativo scientiæ mediæ, non advertentes esse difficultatem comunem cum scientia visionis de tali, vel tali operatione libera creaturæ. Disputavi rem hanc Disp. 3. de Anima cap. 2. & ex ibi dictis dico nunc, hujusmodi impeditioes, ac determinationes non sunt physicæ, & materiales, sicuti quando impedimus, aut determinamus, quod aqua decurrat per Epistomium, aut ventus per fenestrum: cum enim libertas, quæ est hypothesis objectiva scientiæ mediæ multoties nequè existat, nequè extitura sit in rebus, & semper sit verum, quod non existit

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

ab æterno: Indè est, quod nequit determinare, aut impedire immediatè, physicè, ac directè scientiam mediam sicut nequè scientiam visionis. Verumtamen potest illam impedire, seu determinare indirectè, atquè in genere objectivo; non quatenus illa libertas sola sit in causa, ut DEUS nunc absolutè, physicè habeat talem præscientiam; sed complexum ex illa libertate purè possibili, & ex actuali, absoluta, physica, & reali necessitate, quam habet DEUS, ut sciat omne scibile. Quod sic explicatur in scientia visionis. Ex una parte ob infinitam suæ mentis perspicaciam est determinatus DEUS ut ab æterno, & in æternum habeat notitiam illius, quod hodiè facis, ab æternoquè similiter, & in æternum non habeat notitiam de eo, quod hodiè non facies hoc ipso, quod hodiè non facies. Ex alia parte licet tu non extiteris ab æterno, nihilominus liberè omnino facis hodiè quod facis, & omittis hodiè, quod hodiè omittis; Ergò licet non extiteris ab æterno, tamen supposita utraque illa determinatione DEI, indirectè, ac quasi mediatè determinas in genere objectivo æternam scientiam visionis, quam habet DEUS de tua hodierna operatione libera, nempe quia directè, ac immediatè determinas hodiè illam scientiam; Et hæc hodierna existentia scientiæ illius est intimè connexa cum sua æterna existentia, ob æternitatem omnibus actibus Divinis essentialem: Et similiter indirectè, ac quasi mediatè impedis scientiam visionis de illa operatione, quam liberè omittis hodiè; nempe quia directè, ac immediatè facis, nè hodiè existat illa scientia visionis; Eam autem non existere hodiè, intimè connectitur cum eo, quod nunquam existat, ob essentialem invariabilitatem actuum Divinorum. Quod exemplo locali declaratur: Tu certè non existis in hac Cathedra, sed isto in loco distante; tamen in isto loco pro mero tuo libito, & quia liberè vis, visionem impedis, vel determinas, qua te scribentem, vel non scribentem intueor ex hac Cathedra: nam quia promptus, & attentus sum, video te scribentem, si scribis; Et quantumcumquè attentus essem, non te viderem scribentem in isto loco, si tu in isto loco non scri-

P 2

scri-

scriberes; At licet tu non sis in hac Cathedra; sed in isto loco distante; tamen in isto loco scribis, quia vis, aut non scribis, quia non vis: Ergo licet non sis in hac Cathedra, tamen in isto loco es causa, ut ego te in hac Cathedra videam, vel non videam scribentem. Hoc contingit in scientia visionis, & in scientia media, quandoquidem non minus est sphaera infinitae sapientiae DEI tota utrinque aeternitas, & singulae libertates, quae in ea sunt, vel essent, quam est sphaera meae potentiae visivae hoc gymnasium undequaquae, & omnia individua, quae sunt in eo.

LXI. Verum est, quod libertas A creata non existit ab aeterno & multoties neque in tempore; tamen supposita infinita perspicacia mentis divinae ex illa sola libertate pendet, quod DEUS nunc, & ab aeterno sciat illam consensuram, vel quod sciat illam non consensuram salutariter, si existeret (unde determinativum adaequatum, id est subjectivum, & objectivum alterutrius scientiae, neque est sola perspicacia mentis divinae, neque sola operatio libera creaturae; sed complexum ex utraque) nam ex una parte DEUS per se ab intrinseco est determinatus ad sciendum, quid eveniret, quid non eveniret in omni casu, in omni hypothese, & rerum combinatione possibili: Ergo eo ipso, quod libertas A consentiret, si existeret, DEUS ab aeterno, & nunc actu absolute, physicèque haberet scientiam conditionatam de hoc consensu, & eo ipso, quod non consentiret, DEUS non haberet ab aeterno scientiam conditionatam de hoc consensu. At ex alia parte licet libertas A nusquam extiterit, & consequenter licet nunc physicè, absolute non existat; nihilominus est verum, quod si consentiret, si existeret, unice determinaretur haec ab ipsa; item quod non consentiret, si existeret, unice determinaretur ab ipsa ob rationem datam; scilicet, quia ex terminis repugnat hominem esse liberum libertate indifferentiae ad utrumvis, & simul irresistibiliter determinari à DEO in unam partem potius, quam in aliam; ergo illa sola libertas quamvis actu absolute physicè non existens, esset in causa, ut DEUS ab aeterno, & nunc

praesciret suum consensum, vel non praesciret, licet ipsa libertas A neque modo, neque ab aeterno existat: Sed utramvis scientiam determinandam esse à sola libertate A, si existeret, est quod modo de praesenti, atque ab aeterno determinetur indirecte, ac quasi mediate ab ea libertate; nam si modo determinata jam esset ab alio, non determinaretur ab ea sola libertate, casu quo haec existeret: ergo utraque praedicta scientia media est determinabilis, & impedibilis à sola libertate A, quam assumit pro hypothese, & est omnino chimæra contra essentiam rerum, quod sit determinabilis, atque impedibilis per DEUM, sicut esset chimæra, quod praedicatum Animalis esset per DEUM auferibile homini.

LXII. Tota æquivocatio stat in eo, quod, dum adversarii audiunt has voces *Determinare, impedire*, & similes, putant actiones physicas, sicut quando actu de praesenti exercemus libertatem nostram amore, vel amoris omissione. Cumque ex alia parte libertas illa creata certissime non extiterit ab aeterno, & multoties neque in tempore, quia neque existunt, neque exiturae sunt omnes libertates possibiles, de quibus DEUS habet scientiam mediam, idcirco non intelligunt, quomodo libertas, quae non existit, quae nihil est, possit determinare, vel impedire actualem existentiam physicam, & realem eorum actu scientiae mediae.

§. Quartus.

LXIII. Sed videntur falli, quia nos non loquimur de determinatione, aut impeditioe *physica*, quam jure impugnant; sed de objectiva consistente in eo, quod libertas illa creata, ut praeventa, ut adjuncta, ut elevata per Gratiam DEI, & hac in suo genere operante, tamen pure pro suo libito, absque irresistibili determinatione DEI consentiret salutariter, si existeret, aut pure pro suo libito absque ea determinatione non consentiret: Quorum unum necessario debet verificari de ea libertate, tamen nunquam existat in rebus, quia non solum: *Quodlibet est, vel non est; sed etiam quodlibet esset, vel non esset. Qualibet libertas con-*
sen-

sentiret, vel non consentiret: Cumque eo ipso, quod consensura esset, illicò asurgeret infinita perspicacia DEI ad illud cognoscendum jam nunc de præsentibus: & eo ipso, quod non consensura esset, infinita infallibilitas DEI non cognosceret illud jam nunc de præsentibus; Hac de causa, & in hoc tantum sensu dicimus, libertatem nunquam existentem posse actu determinare, & actu impedire scientiam mediã; nempe determinatione, ac impeditione non physica, sed objectiva, originem trahente ex infinita perspicacia DEI ad sciendum omne sciibile, & incapacitate ejusdem ad sciendum, quod non est sciibile. Quod tandem reducitur ad hanc veritatem. *De libertate, nequè ab æterno, nequè unquam exitura, potest nunc, & ab æterno verificari, quod si existeret, ipsa pro mèro suo libito supposito adjutorio divino absquè ulla irresistibili determinatione divina consentiret.* In hoc, quæ difficultas est ultra primos terminos nostræ ipsius conclusionis? sed hoc, & non aliud defendimus, quando dicimus libertatem creatam nequè ab æterno, nec unquam existentem, determinare scientiam mediã de sua efficacia v.g. ergò re benè intellecta non est ulla difficultas ultra ipsos primos terminos conclusionis in eo, quod libertas non existens actu determinet, vel impediatur scientiam mediã existentem, aut non existentem, supposita tamen semper determinatione jam dictâ mentis divinæ infinitè perspicacis.

LXIII. Hinc lucem accipies ad videndum quid significent phrasès illæ, *Status possibilitatis, status futuritionis conditionatæ, status futuritionis absolutæ.* Quæ profecto bonæ sunt, si benè intelligantur; pessimæ autem, & multarum matrices æquivocationum, si malè intelligantur. Verum est, quod ex parte rerum independenter à nostris cogitationibus sunt possibilìa, quæ possibilìa sunt, sunt futura conditionatè, quæ futura conditionatè sunt, &c. Sed non est verum, quod ex parte rerum sint status aliquid, seu ambulacra, seu cubilia, in quorum uno inclusæ sint res possibilès, in altero res futuræ conditionatè, in altero res futuræ absolutè. Et DEUS, vel creatura aperiat illa prima cubilia, ex

quibus erumpant res ad secundum futuritionis conditionatæ, & hinc ad tertium futuritionis absolutæ, donec tandem transeuntes per hæc omnia ambulacra, seu status, emergant ad existentiam. His mens gravis chimæris, mirum non est, quod Hircocervos pariat.

LXIV. Nega itaque statim status istos, & transitus objectivos, simul ac suspiceris adversarium istis terminis abuti, ut solet, vel dicito. Quamvis ex parte rerum independenter à nostris cognitionibus libertas A consentiret v.g. Si existeret, hoc non est, quia nunc de præsentibus detur quidpiam in rebus, quod subjectivè in se ipso sit. *Libertatem consensuram, si existeret.* Sicut datur aliquid, quod in se ipso est *illum parietem esse album*: sed quia cum necesse profus sit libertatem A consentire, aut non consentire, si existat; interdum supponimus determinatè, ut mutuò intelligamur, & ne gradiamur supra ambiguitates, illam consensuram; interdum supponimus illam non consensuram; illam autem tunc consensuram: Item, illam tunc non consensuram, non est quidpiam physicè actu existens in rebus modo contradistincto à Divina cognitione; sed aliquid *exiturum*; exiturum autem non est existens de præsentibus ob variationem temporum, & hypotheseon; sicut existere in uno tempore, aut loco non est existere in alio. Igitur sanus sensus istorum statuum nihil aliud est nunc de præsentibus existens, quam ipsæ cognitiones Divinæ exprimentes objecta interdum modo absoluto, interdum disjunctivo, &c. Et hæc variationes, quæ propriè, ac formaliter affixæ sunt cognitionibus ipsis, transferuntur venustè ad objecta; sed multoties propter phrasium pulchritudinem veritas à vento corripitur. Itaque consensus in statu absoluto nihil aliud est, quam consensus ipse secundum ea, quæ exprimentur per *absolutam explicationem* illius. Consensus in statu conditionato nihil aliud est, quam consensus, ut expressus per scientiam habentem modum tendendi *conditionalem*.

LXV. Hinc, quando audias consensum transire à statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ, & ab hoc

hoc ad statum futuritionis absolutæ (consilium do, quod experientia mihi dedit) nega transitus istos, non quia non possent habere aliquem sensum verum; sed quia species excitant aptas ad obnubilandum veritatem. Non enim contingit, quod consensus aliquando sit possibilis, & non futurus, postea futurus conditionatè non absolutè, &c. ab æterno enim, & in æternum est futurum conditionatè, quod sic futurum est. Solum itaque est verum, quod divina scientia possibilitatis, est prior prioritate independentiæ à Divina scientia futuritionis conditionatæ, & hæc similiter prior, quam scientia futuritionis absolutæ. Compelle igitur adversarium volentem, nolentem, ut ex cavernis illorum statuum, & transituum evadat in lucem, qua detegantur æquivocationes, super quas argumenta struebantur.

LXVI. Rursus quando audias consensum habere in statu conditionato eadem principia, quæ in statu absolutò, debes intelligere, scientiam enunciantem conditionatè consensum exprimere ex parte hypothesis principia omnia, à quibus in actu 2.º nasceretur consensus. Hoc autem verum est de principiis immediatè prærequisitis, non de remotis, quia non est necessarium, quod singuli actus scientiæ mediæ repetant ab origine mundi seriem principiorum remotorum, ex quibus descendit consensus; Ergo licet scientia ipsa media sit principium consensus, cum tamen non sit principium immediatum, sed remotum, quatenus præluet Decreto collativo libertatis, ex quo nascitur hæc, & ex hac consensus ipse, idè non est necessarium, quod exprimat seipsam determinatè ex parte hypothesis, sub qua enunciat consensum. A plerisque ex his triticis liberi essemus, si locutiones Metaphoricæ non inundassent scholas, ubi solus rigor & puritas Theologica regnare debuerant.

LXVII. Quamobrem in hac difficultate de determinativo scientiæ mediæ, vel sermo est de determinativo subiectivo, vel de objectivo. Si primum, dico esse infinitam ipsam perspicaciam mentis divinæ; quoniam ex vi

hujus, quæ utique se habet ex parte ipsius DEI, necessitatur, ac determinatur DEUS ad cognoscendum omne cognoscibile, quam primum cognoscibile fuerit, atque modo eo, quo per cognitionem veram cognoscibile fuerit. Si secundum, rogo iterum. Vel sermo est de determinativo objectivo in genere efficiente, seu quasi efficiente. Vel in genere verificante. Si primum, illud est, ut dixi, libertas illa plena, & adæquata quæ fuerit hypothesis objectiva illius scientiæ mediæ. Si secundum, rogo demum. Vel sermo est de determinativo. Remoto & illativo. Vel de formali, & immediato. Si primum, dico esse quidquid fuerit essentialiter connexum cum eo, quod Petrus consentiat, si habeat libertatem A. Omne namque tale est eo ipso connexum essentialiter cum eo, quod DEUS id cognoscat, & consequenter ratione hujus connexionis determinat DEUM, seu aptum est ex se, ut determinet DEUM ad hic, & nunc cognoscendum (si aliàs id non jam cognosceret) fore ut si existat libertas A, consentiat. Si secundum dico id, quod toties dixi, illud esse actionem ipsam productivam consensus A v.g. Si hic distinguitur à sui productione, orituram pro eo instante, ac circumstantiis à libertate A, & consequenter huic essentialiter alligatam prout omnis actio alligatur essentialiter suis principiis physicis & moralibus, ut in Prodro mo ostendi Disp. 3. num: 62. Etenim determinativum objectivum formale, ac immediatum vocatur objectum illud, quod formaliter immediatè verificat scientiam, & consequenter est immediatè ratio objectiva propter quam illa scientia potius quam opposita, est nunc in DEO. At objectum, quod formaliter immediatè verificat hanc scientiam. *Si existat libertas A, hæc ipsa libertas eliciet consensum A, sive consentiat individuo consensu A.* V.g. Est ipsa elicientia, sive productio illius consensus, hoc est; actio productiva illius consensus nascens à libertate A, quia hæc elicientia, sive actio productiva est objectum, quod formaliter immediatè enunciat illa scientia, ut patet: & ab eo, quod res est, vel non est, propositio formaliter, ac immediatè dicitur vera, vel falsa: Ergo ea individua elicientia sive actio

actio productiva individui illius consensus est determinativum, sive verificativum objectivum formale, ac immediatum illius scientiæ.

LXVIII. Nequè refert 1. quod multoties nec sit, nec fuerit, nec futura sit actio illa, ut evenit, quoties est merè conditionatè cognita per DEUM, ut cognita fuit conversio Tyrionum, Proditio Ceylitarum, adventus Saulis ad prendendum Davidem, &c. Cum enim scientia non enunciet actionem illam productivam individui illius consensus *fuisse, Esse, aut futuram esse*; sed duntaxat futuram fore à libertate A, *si hæc existat*: ut scientia illa sit vera, & consequenter, ut existat in DEO, & consequenter, ut verificetur, sive ut determinetur ab illa actione, tam impertinens est actionem illam fuisse, esse, aut futuram esse (licet hæc possint per accidens verificari) quam impertinens est Petrum esse album, ad hoc, ut sit vera propositio, quæ duntaxat enunciat *illum currere*, licet per accidens possit esse albus. Perfectio non solum Constantinopoli, sed etiam Romæ est verum dicere. *Turca degit Constantinopoli*; tamen non detur Romæ vita, & præsentia Constantinopolitana Turcæ: nempe quia illa propositio enunciat quidem Romæ vitam illam, sed non enunciat illam vitam esse Romæ. Quod de loco, respectivè dico de tempore. Neque dicas 2. quæ fieri potest, ut libertas creata v. g. Tyrionum constituta per visionem miraculorum Christi, quæ nec fuit ab æterno, nec in tempore, nec unquam erit, determinet, ac faciat, quod fuerit ab æterno, & quod semper sit scientia divina conditionata, de eo, quod si fuisset illa libertas, benè operaretur. Decipit imaginationem, ut jam adverti illud verbum *Determinat. Facit*. Quasi in præsentis significet agere physicè aliquid. Absit apprehensio prava. *Determinare, & facere*, nil aliud prorsus significant in præsentis, quam, hæc duo; Unum, mentem Divinam ab æterno, & nunc, & semper esse determinatam ex sua infinita perspicacia ad habendum eam scientiam, si libertas illa pro casu existentis suæ benè operatura esset; Alterum quod illa pro eo casu benè operatura es-

set. His enim solis duobus datis dabitur ea scientia nunc, & ab æterno; at quamvis ea libertas nunquam penitus fuerit, nunquam sit, aut futura sit, verificantur ea duo, ut constat; Ergo, &c. Nequè dicas 3. actionem illam individuum indifferentem esse, ut nascatur à libertate A, casu quo hæc existat: Tum quia licet ipsa libertas A sit indifferens, ut ponat, vel non ponat actionem illam; actio illa, ut potè essentialiter affixa illi libertati, non est physicè indifferens, ut nascatur vel non nascatur ab ea libertate, quia si existat actio illa, debet indispensabiliter nasci ab ea libertate; omnis quippe actio est essentialiter alligata eis principiis physicis, & moralibus, à quibus hic, & nunc nascitur, ut probavi in Prodromo Disp. 4. n. 62. Tum quia sicut quodlibet est, vel non est, ita quodlibet esset, vel non esset: Ergo prorsus necessarium est, quod si existeret libertas A, existeret, vel non existeret actio illa. Si supponis extitutam fore, ecce jam determinatam per tuam ipsius suppositionem indifferentiam illam. Si supponitur, non extitutam (unum, vel alterum est penitus necessarium) tunc certè actio illa non est determinativum ullatenus prædictæ scientiæ mediæ affirmativæ, quippe tunc non dabitur scientia hæc, quippe quæ falsa esset, sed opposita scientia mediæ negativa. Ut mutuo autem intelligamur, supponimus extitutam à libertate A illam actionem, quando loquimur de scientia mediæ affirmativa.

LXIX. Confirmatur hæc doctrina: Vel habes duo contradictoria contra scientiam purè, ac præcisè conditionatè enunciantè actionem productivam consensus sub libertate A, casu quo hæc existeret. Vel non habes. Si habes, cedo illa. Si non habes, hæc est scientia, quam solam vocamus scientiam mediam. Nec demum dicas 4. Hanc conditionatam præscientiam esse meram, & otiosam speculationem, nempe scire quid contingeret, quid non contingeret in mari, casu quo vector A sterteret in puppi. Id videtur non posse dici, nisi per incitiam, aut etiam per barbariem. 1. Quia scientiam mediam non vocamus illam, quæ scurriliter exprimit, sed

sed quæ exprimit, quid ad honestatem morum pertinens, ageret: quid non ageret creatura rationalis, casu quo adjuvaretur tali, aut tali auxilio, cui tamen dissentire posset. 2. Quia nec nugæ istæ possunt latere infinitam perspicaciam DEI. 3. Quia vel ipsa Providentia humana constat scientiis conditionatis. Si mercator præsciret navim male gubernandam à nautis, crederetne illis merces, quas mare absorbit? Cur agimus multa, ac omittimus alia, nisi quia prævidemus eventum inde nasciturum? Demum, quia nugæ easdem objicere poterat contra scientias conditionales in scriptura revelatas. V. g. Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, &c. Si David perseverasset Ceylæ, descendisset Saul, & David traditus esset. Si Ezechiel missus esset ad populum ignotæ linguæ, &c.

CAPUT IV.

Quarta Propositio.

LXX. **S**cientia media exprimit omnino absolute aliquod constitutum suæ hypothesi objectivæ; alia verò, suspensivè tantum, & hypotheticè, quatenus non enunciat absolute ipsorum existentiam. Quapropter illa particula *si*, quam præfert dicta scientia, non habet sensum illativum, neque merè conjunctivum, aut temporalem; sed purè, ac strictè conditionalem. Suum objectivum conditionatum non est quævis actio, aut quævis ommissio; sed individuum illud ac singulare exercitium positivum, aut negativum, quod immediate procederet in tali instanti determinato, ac secundum omnes proprias suas circumstantias ab individua illa libertate, quæ assumitur præ hypothesi; Et quando est conducens ad salutem, non enunciat per scientiam mediam, quomodolibet extitutum ab arbitrio creato; sed extitutum ab hoc re-duplicativè, ut prævenio, ut excitato, ut moto per gratiam DEI (cui tamen resisti possit juxta geminam definitionem Ecclesiæ jam citatam) Undè, ut extitutum etiam à gratia, & hæc in suo genere cooperante, nec non ab Omnipotentia, à Decreto hujus applicativo cum carentia omnis inevitabilis, atque irresistibilis

determinationis Divinæ. Demum hoc objectivum conditionatum interdum nunquam, interdum aliquando est absolute extitutum in rebus; sed ab utrovis præscindit scientia media; quæ non idcirco dicenda est purè speculativa; nam etiam est practica.

LXXI. Probo 1. partem. Libertas indifferentiæ in actu primo, quam sæpe dixi esse hypothesim objectivam scientiæ mediæ, intrinsecè constituitur per omnia principia immediate prærequisita ad individuam illam operationem, individuamque operationis illius ommissionem, ut supra dixi; ergo constituitur per Voluntatem ipsam creatam, per Omnipotentiam, per decretum applicativum hujus; per auxilia DEI, sanctasquè inspirationes, nec non per tentationes, seu diabolicas suggestiones, item per inclinationes, & aversiones, tum naturæ innatas, tum consuetudine acquisite; omnia quippe hæc præcedunt frequenter actioni liberæ, unumquodquè in suo genere. Tum sic: sed scientia media exprimit Omnipotentiam, ut absolute existentem; reliqua verò constitutiva contingentia exprimit suspensivè tantum, & hypotheticè, eo scilicet modo. *Si existant*: Ergo. Probo mi: Effet fatuitas, DEUM sic cognoscere. *Si existat mea Omnipotentia*; non autem est fatuitas sic cognoscere. *Si existat voluntas creata, si existat auxilium, &c.* Tamen illa absolute existant in rebus; tum quia antecedenter, & independentè à scientia media intuetur DEUS per scientiam necessariam existere suam Omnipotentiam, cui est essentielle semper, & ubi-vis existere; non autem sic intuetur existere res illas contingentes, quibus non est essentielle semper, & ubi-vis existere: Ergo si DEUS cognosceret sic. *Si existat mea Omnipotentia*, esset, sicut, si ego dicerem sic. *Si vos, quos hic existentes intueor, essetis hic, ego dicerem*: Quod sine dubio esset stultitia, vel jocus; ergo per scientiam mediam non agnoscit DEUS suspensivè, & hypotheticè suam Omnipotentiam, sed solum illa constitutiva libertatis, quæ sunt entitativè contingentia.

LXXII. Et ratio est: Omnis scientia Divina, quippe quæ profus assequitur